

siue singulis libris, vt *Noldio*, siue in serie historiarum vniuersa, aut per alias occasiones, vt *Pagio* in *Critica Bar. Valefio* ad *Eusebium*, et aliis, etiam *Relando* in *Palaeftina*. Lucem etiam Actorum locis quibusdam affundunt, quae *Iosephus* de Herodum rebus, itemque *Philo*, locis supra commemoratis, pag. 1034. 980. sqq. de Pilato et utroque Agrippa tradunt. Sed ad gentem Herodis pertinet etiam *Philippus* alter, Herodis Antipae frater, non vterinus, sed e *Mariamne*, *Simonis* filia, *Ioseph. XVIII, 15, 1. 4.* Is duxerat *Herodiadem*, natam ex *Aristobulo*, Herodis M. filio, sororem Agrippae maioris, e qua susceperat *Salomen* filiam. Hanc abduxit ab eo Herodes Antipas, hoc nomine ab Iohanne reprehensus, *Luc. 3, 19. Matth. 14, 3.* add. *Deylingium Obs. II, 26, 20.*

§ 69.

In loco *Lucae* nobili 3, 1. commemoratur etiam Abilenes tetrarcha *Lysanias*, diuersus ab altero, *Ptolemaei Mennaei* filio, qui, sexaginta amplius annis ante, illam tetrarchiam tenuerat, ipso interfecto, primum ab Antonio Cleopatrae donatam, post, rebus conuersis, a Zenodoro quodam mercede conductam.^{p)} Id fieri ab *Luca* videtur hac de causa, quod in ista tetrarchia Iudaei multi essent, eamque etiam Iesus ipse docendo contigisset. Atque ita placere video *Casaubono*, qui de tetrarchis Abilenes accurate exponit *Exerc. Bar. XIII, 3.*

p) Ex